



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Ad Leonem X. Pontificem Maximvm**

**[Straßburg], 1519**

**VD16 L 3409**

D. Andreae Bodensteinii Archidiaconi Vuittenbergensis apologeticæ  
propositiones, pro R. P. D. Martino Lutherio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-34717**

- 47 Nemo habet de suo, nisi mendacium & peccatum.  
 48 Qui facit quod in se est, facit quod deo displicet, mentitur, obloquitur, ac sibi officit.  
 49 Ex præmissis inferitur, quod bona operatio non uoluntati humanæ, sed diuinæ debet simpliciter attribui.  
 50 Bonus actus, ut aiunt, quantum ad totam suam entitatem, hoc est, totus, attribuitur deo.  
 51 Illi autem qui uoluntati substantiam actus, ut Capreolus, & Scotus, modum uero seu entitatem minorem deo attribuant, quod maius est sibi ipsi, quod minus, ne dicam feces, deo deputant. Ex propositis inferitur ad destructionem illius quod penes Scotum legimus, uidelicet, quod uoluntas est principalis causa, quantum ad principalitatem entitatis in bono opere, secus quantum ad principalitatem esse meritorij. Scotus & sequaces in i. & Capre. ij.

Inferitur quoque aduersus eos, qui Augustinum diuellunt ne dicam, corrumpunt, exponentes eius dictum, ipsa gratia augetur, ut aucta mereatur perfici, comitante non ducente pedissequa, non præuia uoluntate, dicentes, quod uoluntas est pedissequa quantum ad relationem meritorij, de qua Augustinus non cogitauit.

R. P. D. MARTINVS LV THERIVS.

Igitur Papa per remissionem omnium pœnarum, non simpliciter omnium intelligit, sed a seipso impositarum.

ECKIVS IMPVGNATOR.

Immo oppositum, quia uel intelligit pœnas canonum solum accumulatiue, ad pœnas a deo impositas concurrere, iam laqueus, non salus esset in canonibus pœnitentialibus, aut uult eos declaratorios sicut in ueritate sunt, & ipse non attendit, iam remittendo pœnas canonum, aliquas pœnas remittit.

D. ANDREAE BODENSTEINII ARCHI

diaconi Vuittenbergensis apologeticæ propositiones, pro R. P. D. Martino Lutherio.

1. Eckius dum in canonibus non laqueum, sed salutem esse



NEM ECKIUM THEOLOGVM.

- putat, & hoc latenter scribit, iudaizat, & Paulū qui dicit, *Lit*  
*tera occidit.* Item lex est ministratio mortis, non intelligit.
- 2 Aut plus hominibus quam deo tribuit.
  - 3 Indiget idem Augustino doctore.
  - 4 Et ea caret intelligentia, quam Capricornus, Scotusq̄,  
Alphonsus & Gabriel, præstare nequeunt.
  - 5 Cum aut̄ is error, q̄ in atramento, seu literis eo factis, aliud  
auxiliū, q̄ demonstrationis & manifestationis, ut puta salu-  
tem ipsam ponit, in Palestino iudicio sit subuersus ac conde-  
mnatus, metuendū est Eckium heresim in pulmone habere
  - 6 Non sufficit prædicare uerbum dei, aut illud legendo in-  
telligere, sed oportet ut assensus ei commodetur.
  - 7 Peiores efficiuntur qui diuina, etiam euangelicā legem  
sine gratia audiendo uel legendo intelligunt.
  - 8 Cognitio peccati sine gratia nocet, facit enim nos scire  
quod uitare non possumus.
  - 9 Nudus sermo ad monendū est utilis, ad persuadendū in
  - 10 Nec lex sancta, quæ facienda & deuitanda (firmus.  
demonstrat, & liberum arbitrium cum ea, ad faciendum sa-  
lutis opera sufficiunt.
  - 11 Si Eckius salutem in scripturis collocari putat, ipsum in  
Iudæis Christ⁹ reprehendit, ibi, *Scrutamini scripturas, quia*  
*uos putatis in ipsis &c.* Et ei aduersatur Apostolus, qui di-  
cit gratiam lege testificari, non conferri.
  - 12 Immo si error notatus subsisteret, magna Bibliæ pars aff
  - 13 Paulus quoq̄ insaniuisse merito conuincere (leret.  
tur, qui uelut gratiæ defensor dixit, si iustitia est ex lege, Chri-  
stus gratis est mortuus.
  - 14 Si Eckius de salute secius, quam nos dixit, eius conclu-  
sio contra Vuittenbergen̄, posita, non urget, nec ualet, sed  
aduersus ignem cereo pugnat stimulo.
  - 15 Verum si de salute locutus est, more scripturarum, apos-  
tolicis aduersatur documentis.



M. LV THERII SERMO

16 Ex præmissis colligitur, quod si canones conscientiam obligant, solum præuaricationes accumulunt, præceptum ecclesiæ ostendunt, & ultra non progrediuntur.

17 Cum autem D. Eckius, Vvittenbergenses non dicit attendere ueritatem, uidelicet, quod canones sunt poenarum a deo impositarum declaratorij, nisi sale cõdiatur, euanesceat factata sua ueritas, præsertim si non per f. scripseris.

18 Petit tamen, ut idem Eckius in propositione sua (quæ incipit, Erronea apparet &c.) ad idem & aptius loquat. Quæ enim controuersia est partium nõ aduersantiũ; nisi sic dicat Canones cumulatorios, aut declaratorios poenarũ, sed parua & minuta non curamus, nec prosequimur sophismata.

EX VVITTENBERGA CVRSIM VII  
die mensis Iulij, Anno domini  
M. CCCC. XVIII.

R. P. MARTINI LV  
THERII AVGVSTINIANI VVITTEN  
BERGENSIS DE POENITEN  
TIA SERMO.



E indulgentijs sæpe locutus sum uobis, do-  
nec id meruerim, ut hereticus accuser. ut au-  
tem rem ipsam teneatis, possitisq; uosipsi cõ-  
illis conferre, ecce procedã iuxta eorũ sen-  
tentiam, nisi ubi locus fuerit mea interseren-  
di. Igitur eorũ sententiã, Poenitentia diuidi-  
tur in tres partes, quæ sunt, Contritio, Confessio, Satisfactio  
PRIMA, Contritio (sic enim cõepit uocari uera poeni-  
tentia interior) duplici uia paratur. Primo per discussionem